Jacobi

Observationes criticae in Origenis commentarios de evangelio Ioannis compositos

VNIVERSITATIS LITERARIAE FRIDERICIANAE
HALIS CONSOCIATAE

PROGRAMMA PASCHALE.

SCRIPSIT

JVSTVS LVDOVICVS JACOBI
THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS.

INSVNT

OBSERVATIONES CRITICAE IN ORIGENIS COMMENTARIOS
DE EVANGELIO IOANNIS COMPOSITOS.

HALIS
FORMIS HENDELIIS
A. MDCCCLXXVIII.

PRAEFATIO.

Ex anno MDCCCLV Theodori Mopsuesteni de epistolis Pauli Apostoli minoribus compositos edidi commentarios, occasiones meas faciens, quae programmatibus nostrae more Academiae conscriptis datae sunt. Cujus operis initium feci ab epistola ad Philippenses scripta, additisque epistolarum ad Colossenses, Thessalonicensesque datarum interpretationibus, usque ad primam prioris Timotheo inscriptae epistolae partem progressus sum. Quem spero laborem non sine ullo commodo fuisse studiis theologicis. Nam Theodorus, quum inter clarissimos ecclesiae orientalis interpretes sit, illis libris non pauca refert,-quae scripturae sacrae lumen afferunt, alia quae originem et incrementa interpretationum indagantes adiuvant, alia deinde, quae et sententias Theodori ipsius dogmaticas illustrant, et veluti fontes nostris quidem oculis aperiunt, unde seriores quidam magnorum motuum auctores placita sua hauserunt. Fuit igitur meis in votis, ut opus inceptum ad eum finem perducerem, ut omnes commentarii praeter eos, quos Pitra E. R. Cardinalis publici juris fecisset, ederentur. Nunc vero accidit, quod me movet, ut opus relinquam imperfectum. Est enim inter Britanniae viros doctos J. B. Swete B. Th., qui in Academia Cantabrigensi ad hoc usque tempus sacras litteras docuit; idem me certiorem fecit, sese editionem omnium a viro Em. Card. Pitra repertorum Theodori commentariorum praeparare et eo iam progressum esse, ut librum ineunte proximo anno se publico commercio speret traditurum esse. Qui quum libris duobus de dogmate Spiritus sancti ecclesiastico eruditissime disputaverit, non dubito quin opus ad studia valde idoneum confecturus sit. Licuit praeterea eidem melioribus quam mihi ipsi subsidiis uti, quum codicem manuscriptum, ex quo partes commentariorum a Pitra publicatae fluxerunt, suis oculis inspexerit, mihi vero praeter Pitrae notas editas et Rabani Mauri opera nihil ad colligendum et purgandum textum suppetiverit.

Quae quum ita sint, illi soli opus exigendum permisi, meque ipsum ad aliud converti. Et elegi quidem ex Origenis commentariis in evangelium Ioannis tomum secundum, librariorium et editorum mendis scatentem, ut, quantum in me sit, in integrum restituam. Quicunque enim Origenianorum scriptorum peritus scit, illam eorum partem permultis rebus, quae ad cognoscenda auctoris et aequalium dogmata faciant, insignem esse. Venit ideo in mentem, me iis qui rebus patrum inquirendis operam navent, orationis turbatae filo ad Origenis originale consilium reducto, aliquantulum posse prodesse. Quamvis enim quae editores, inter quos Huetium, Ruaeos, quorum Migniana editio vestigia premit, denique Lommatzschium laudo, summa sagacitate et diligentia usi, in restituendo recto styli ordine effecerint,

grato animo agnoscam, Origenis libri tamen ii sunt, ut multorum opera et ad recte intelligendos et ad liberandos librariorum erroribus opus sit. Qui scribae saepius fortasse inscitia placitorum Origenis quam incuria verborum scribendorum in errores inciderunt. Sunt enim eius saepissime cogitata difficile intellectu, interpretandi methodus artificiosa, historica ratione contemta, genus dicendi perplexum, periodi longae et minime elegantes, tam tardus in exponendis rebus progressus, ut auctor centum et quinquaginta paginis editionis Lommatzschianae, in diversas partes excedens, vix sex versus evangelii interpretando absolverit. Idem vir summi profecto ingenii et uberrimae eruditionis a classicorum modo et ratione scriptorum multum abhorret. Neque enim directo itinere incedere, sed veluti ad fluvii modum in plura brachia divisi, hinc et illinc ripis retorti, quarum partes secum duxit, ad finem propositum tendere solet. Quare nemo nisi Origenis sententiarum et styli gnarus veram lectionem in locis codicum culpa corruptis coniectura assequetur. Quod ut attingam, operam quam potui dedi. Id tamen doleo, quod codices inspiciendi mihi facultas non obtigerit. Qui si ad manus fuissent, fortasse lectoribus et emendationes quasdam iustas esse facilius persuasissem, et novas alias apposuissem. Sed quum deessent, in iis corrigendis maxime versabar, ubi necessitas ad emendanda verba coegit et evidentia recte emendata commendavit.

Ceterum secundum Lommatzschii editionem, quoniam reliquis facilius eam ad lectorum usum praesto esse puto, paginas numeravi locorum de quibus disserui. Versio cuius interdum mentio facta, Ferrarii est, ab Huetio, Ruaeis, Mignio haud ita multis mutata locis recepta. Sed iam opus nostrum incipiamus.

I.

§ 1. Lomm. p. 91. — ἐπεὶ παρετηρήσαμεν — οὐ τὴν τυχοῦσαν διαφορὰν τοῦ ἐγενήθη καὶ ἐγένετο πρὸς τὸ ἦν, προσθήσομεν, ὅτι ἐν μὲν τῷ πρὸς τοὺς προφήτας γίνεσθαι φωτίζει (sc. ὁ λόγος) τοὺς προφήτας τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως, ποιῶν αὐτοὺς ἅτε ἔμπροσθεν βλέποντας ὁρᾷν, ἃ πρὸ αὐτοῦ οὐ κατενόουν. πρὸς δὲ τὸν θεὸν τὸ θεὸς ἔστι τυγχάνων ἀπὸ τοῦ εἶναι πρὸς αὐτόν. leg. πρὸς δὲ τὸν θεὸν ἔστι θεὸς τυγχάνων κ. τ. λ.

Emendationem nostram quo iure textui, quamquam codicibus et editionibus defenso, praetulerimus, facile patebit, si quis consideraverit, quid agat Origenes verbis propositis. Qui quum in interpretandis evangelii verbis: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος (c. 1, 1) versetur, duas quidem res in Logo discernere studet. Dicitur enim Logos divinus, Logos simpliciter et absolute dictus, dicitur vero etiam Logos qui rationem habet ad creaturas, in iisque est efficax. Est unus quidem Logos, sed pro diverso statu diversa attributa ad eum referenda sunt. Prodit igitur principale discrimen in eo quod sit, et in eo quod moveatur. Quod scripturam sacram Origenes docere putat, quum Logon aut dicat apud Deum fuisse aut ad prophetas, ut scientiam rerum futurarum iis communicet, pervenisse. Sed ne Logon absolutum quidem, quem et Αὐτόλογον Origenes appellare solet, eundem divinitatis gradum quem pater teneat, suum vocare censet. Deum enim Patrem summam divinitatem a nullo alio acceptam tueri, Logon vero secundi gradus dignitatem a Patre impetrasse. Quidquid enim divinitatis in se teneat, communicatum esse a Patre, ex quo profectus et cum quo ex aeternitate arctissime coniunctus sit. Qua re paulo superius idem auctor multus est in disputando, vocabulum ἦν de Logo ab evangelista adhiberi, ut ostendatur, eum nunquam non apud Patrem fuisse; additque paulo inferius: inde cognoscendum esse, Logon factum esse Deum. Quae quum ita sint, iste tantum sensus inesse potest verbis: est apud Deum, Deus factus per praesentiam apud eum. Qui sensus offuscatur per superfluum τὸ et per transpositionem verborum, elucet vero clarissime nostra verborum emendatione facta.

II.

§ 2. Lomm. p. 92 — πᾶν δὲ τὸ παρὰ τὸ αὐτόθεος, μετοχῇ τῆς ἐκείνου θεότητος θεοποιούμενον, οὐχ ὁ θεὸς, ἀλλὰ θεὸς κυριώτερον ἂν λέγοιτο, ᾧ πάντως ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ἅτε πρῶτος τῷ πρὸς τὸν θεὸν εἶναι, σπάσας τῆς θεότητος εἰς ἑαυτὸν, ἐστὶ τιμιώτερος, τοῖς λοιποῖς παρ' αὐτὸν θεοῖς, ὧν ὁ θεὸς θεός ἐστι — διακονήσας τὸ γενέσθαι θεοῖς, ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀρύσας εἰς τὸ θεοποιηθῆναι αὐτοὺς ἀφθόνως, κἀκείνοις κατὰ τὴν αὐτοῦ χρηστότητα μεταδιδούς.

Hic habes locum, non solum librariorum incuria sed etiam editorum errore corruptum. Nam recte quidem Huetius et Lommatzschius codicis Bodleiani lectionem ἐστὶ tuentur contra ἔτι cod. Regii, quem Ruaei sequuntur; approbant tamen omnes vocem ᾧ πάντως etc. in quo egregie falluntur. Neque enim probus sensus inde elici potest. Vertit Ferrarius quidem: „quo nomine", et acquiescunt reliqui in hac versione. Quod si recte interpretati essent, Origenes hanc fere sententiam edidisset: „Deum absolutum ab evangelista articulo apposito insigniri (ὁ θεὸς), omnes vero alias naturas

praeter illum, deitatis ab ipso communicatae participes, proprie θεοὺς omisso articulo, appellandas esse; eodem vero nomine primigenitum omnium creaturarum, quippe qui primus Patrique proximus sit, honorabiliorem esse reliquis divinis naturis." At ego primum vehementer dubito, an vox ᾧ iuste per quo nomine reddatur, quum Origenes, verborum minime parcus, non neglexisset vocem ὄνομα θεοῦ adhibere. Deinde vero sententiam puto confusam et logica luce carentem extorqueri. Nam si Logos pari nomine θεοῦ cum reliquis praeter Patrem divinis naturis ornatur, quomodo quaero potest eodem nomine praecellens eius prae ceteris dignitas notari? Praetereo illud, quod loco comparativi gradus τιμιώτερος potius superlativus τιμιώτατος statuendus fuisset; sufficiat enim omnes difficultates solvere verbo ᾧ in οὗ mutato. Quodsi concesseris et genitivum casum cum comparativo τιμιώτερος coniunxeris, hanc sententiam consilio auctoris maxime idoneam invenies: Logon primigenitum creaturarum, quippe qui primus propter praesentiam apud Deum Patrem deitatis quid ad se ipsum traxerit, altiorem esse quam omnes praeter Deum absolutum naturas, quae participes eius deitatis divinam conditionem acceperint.

Quod quum editores non satis perspicerent, in alium etiam errorem inducti sunt, coniungentes quae in verbis sequentibus separanda sunt, et separantes quae coniungenda sunt. Verba enim τοῖς λοιποῖς παρ' αὐτὸν θεοῖς cum τιμιώτερος copulant, quae vox additamentum nec desiderat, nec, si nostra emendatio iusta est, tolerat; disiungunt vero a verbo διακονήσας, quod absolute dictum imperfecte dictum est; postulat igitur rationem eius, cui serviatur. Quae quum ita se habeant, enuntiatum sequens confirmat emendationem nostram aptam esse, et emendatio confirmat veram indolem enuntiati additi. Continetur vero universa periodo sententia haec quidem cum Origenis placitis quam maxime conveniens: Sicuti Platonici philosophi quidquid essentiae in rebus sit, descendere docent ex summa essentia, ita Origenes quidquid divinitatis in naturis divinae cuiusdam conditionis insit, a Deo absoluto ad Logon, per Logon ad reliquas descendere profitetur.

III.

§ 3. Lomm. p. 94. Origenes graduum ordinem descendentium longius persecutus, discernit inter Logon absolutum et Logon incarnatum, haec statuens καὶ πάλιν λόγον θεοῦ καὶ λόγον θεοῦ γενομένου σαρκός. Ita enim nos legimus, textus vero transpositis verbis habet γενομένου θεοῦ; sed in re tam simplici et per se patenti ne diutius commoremur.

IV.

§ 3. Lomm. p. 95. καὶ τρίτοι οἱ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ πάντα τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ ...... ἀπὸ θεοῦ μὲν πλανηθέντες, κ. τ. λ.

Dividit Origenes homines in quattuor partes, quarum prima est colentium summum Deum Patrem, altera non amplius progredientium, quam usque ad filium Dei; tertia est sidera venerantium, quae pro Origenis et permultorum opinione naturae animatae habentur esse; quarta est eorum, qui idola hominum manibus facta colunt. E quibus verba graeca supra laudata tertium genus describunt. Desideratur vero in iis verbum quod coniungatur cum voce οἱ; quod ἔχοντες vel simile quid esse perspecto sententiarum nexu non negabis. Vidit idem Huetius, versione addens habentes, sed in eo erravit et ipse et ceteri editores, quod putarent grammatica ratione posse suppleri.

V.

§ 3. Lomm. p. 96. Venio nunc ad locum difficiliorem et magis in incerto remansurum. Καὶ τρίτοι λόγοις, μετέχουσί τι τοῦ λόγου, ὡς πάντα ὑπερέχουσι λόγον προςεσχήκασι, καὶ μήποτε οὗτοί εἰσιν οἱ μετερχόμενοι τὰς εὐδοκιμούσας καὶ διαφερούσας ἐν φιλοσοφίᾳ παρ' Ἕλλησιν αἱρέσεις.

Origenes iterum homines, qui rerum divinarum cognitionem prae se ferunt, in quattuor partes dividit, dispertitur vero non ut supra posuit, ratione habita Dei Patris cogniti, sed ratione posita ad Logon. Quem qui secundum conditionem suam universalem et aeternam intelligant, eos primae parti adnumerat; atque hi quidem sunt et veteris testamenti prophetae et inter aequales gnostici christiani. Alteram vero partem eos esse, qui Logon quidem noverint, sed non nisi incarnatum in Christo; quales putat esse christianorum plebem, philosophicis studiis carentem. Tertia deinde et quarta pars apud Graecos quaerendae sunt. Neque enim hos Logos paedagogus prorsus neglexit, sed sese revelavit et ipsis. Revelavit se quidem, sed pro Origenis sententia non totum se dedit iis sicuti Iudaeorum prophetis, sed ex parte tantum se communicavit. Fuerunt igitur philosophi aliquanto propius ad veritatem divinam accedentes, quorum Origenes in numero Platonicos habet et Stoicos. Quarta denique pars est impia secta Epicuraeorum, a providentiae divinae et veri finis bonorum et aliarum rerum divinarum agnitione alienissima.

Iam satis aperte patebit, quid Origenes de ratione tertiae partis statuat, ad quam verba graeca superius scripta respiciunt. Neque enim quisquam dubitabit, quin philosophos sentiat in eo errasse, quod ideas quasdam ex Logo acceptas summum ipsum totumque Logon esse iudicaverint. Verba vero textui inserta eandem sententiam hoc modo exprimunt: rationibus (λόγοις), quae aliquatenus summae rationis (τοῦ λόγου) participes fuerunt, animos adverterunt, quasi omnem λόγον superantibus. At equidem opinor iisdem verbis plus quam par sit dictum esse. Nam si illi λόγοι unumquemque λόγον superarent, superare eos necesse esset etiam Logon absolutum. Quod non solum ab ipsius Origenis sententiis alienissimum esset, sed idem ne Graecos quidem eiusmodi erroris reos fecisset. Quare quum verba textus corrupta esse videantur, duobus modis medelam parare conabimur. Aut enim legas: ὡς πάντα ὑπερέχοντι λόγῳ προςεσχήκασι. Quam nostram emendationem confirmare videntur, quae Origenes paulo infra addit: τοῦ κρείττονος τάγματος (scil. naturarum divinarum) ὑπερέχει ὁ θεὸς λόγος, ὑπερεχόμενος ὑπὸ τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ. Et ne ex casu hic genitivo, illic accusativo, impedimentum deducas. Utroque enim utitur Origenes, et est accusativi exemplum § 3 init. ubi legitur τοῦ πᾶσαν κτίσιν ὑπερέχοντος. Iam vero si cui mutatio nimis audax esse videtur, melius fortasse placebit ista: ὡς πάντα ἔχουσι τὸν λόγον προςεσχήκασι, i. e. quasi totum Logon continentibus animos adverterunt. Neque haec altera emendatio subsidio caret, quum paulo superius de secundo genere hominum dictum sit: τὸν γενόμενον σάρκα λόγον τὸ πᾶν νομίσαντες εἶναι τοῦ λόγου. Priori nostra emendatione Logos ostenditur summus esse, altera universalis; utraque aptissima est ad argumentum ab Origene propositum; itaque aut eligat sibi utram quisque praeferat aut meliorem afferat.

VI.

§ 4. Lomm. p. 103. Ἔργον δὲ τούτου λόγου ὥσπερ κρίνειν ἐν δικαιοσύνῃ, οὕτω καὶ πολεμεῖν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵν' ἐκ τοῦ τοὺς ἐχθροὺς λόγῳ καὶ δικαιοσύνῃ οὕτω πολεμεῖν, ἀναιρουμένων

τῶν ἀλόγων καὶ τῆς ἀδικίας, λέγεσθαι, ἐνοικήσῃ καὶ δικαιώσῃ, ἐκβάλλων τὰ ἐναντία τῆς ψυχῆς τοῦ, ἵν οὕτως εἴπω, ἐπὶ σωτηρίᾳ αἰχμαλωτισθέντος ὑπὸ Χριστοῦ.

Addere liceat continuo versionem ab Huetio receptam cuius viri docti etiam textum editum proposuimus: „Iam vero quem ad modum ad Dei Sermonem pertinet iudicare in iustitia, ita etiam ad ipsum pertinet bellum gerere in iustitia. Ut ex eo quod dicitur oppugnare hunc in modum ipsi Sermoni et iustitiae inimicos, sublatis his qui a ratione sunt alieni, et iniustitia sublata, inhabitet et iustificet, expellens contraria ab anima illius, qui salutis causa, ut ita dicam, captivus factus est a Christo.“ Tuetur igitur Huetius et graeco et latino textu vocem λέγεσθαι, ex tribus simul codicibus haustam, et consentire ei videntur docti omnes editores. Nihilominus movet me pondus gravissimarum causarum, ne verear, eandem vocem e loco suo eiicere. Neque enim quisquam, re accuratius perpensa, negabit, hanc vocem molestum orationis impedimentum esse. Facilius ferri posset, si post πολεμεῖν posita esset, sed ne sic quidem expedita curreret oratio. Alia deinde haud minor difficultas ex argumento et consilio orationis nascitur. Nam Origenes verba quaedam Apocalypseos (19, 11 sq.) pro more suo allegorice interpretatus, Logon cum bellatore comparat, qui victis erroribus et iniustitia, hominum christianorum animis potiatur. Qua in rerum gestarum descriptione consilio auctoris aptum est, ex actis effectus deducere, ita ut res causa rei existat. Quam methodum in universa hac rerum expositione persequitur. Atque cum eadem optime convenit, quod Logos describatur ex victoria reportata novos progressus faciens. Minime vero convenit, quod Logos progressus fecerit eam ob causam, quod dicatur (scil. in scriptura sacra) victoriam reportasse. Immo hoc additamentum sententiam auctoris non roborat sed turbat. Quare sublata voce λέγεσθαι de medio textu me verum attigisse spero. Sed quum fortasse quaerat aliquis, quomodo fieri potuerit, ut vox a re alienissima in textum irrepserit, etiam huic responsum ferre conabimur, nam quaestione soluta emendatio nostra firmior stabit.

Iam igitur animadvertas, verborum graecorum a nobis laudatorum initium non idem esse in omnibus codicibus manuscriptis. Codicem Regium sequitur Huetius, cuius quidem lectionem proposuimus, censemus tamen minime esse probandam. Contra Ruaei et Lommatzschius favent lectioni cod. Bodleiani: ἔργον δὲ τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ, quam meliorem habendam esse et ipse confiteor. Placet vero maxime tertia, quae in codice Barberino invenitur: ἔργον δὲ τοῦτο τοῦ λόγου. Quibus verbis, si quid recti video, apposita erat vox λέγεται· Nam in hac sententiarum nexu eadem vox non solum tolerari potest, sed necessitate quadam postulatur. Origenes enim interpretationem verborum Apocalypseos ad alia devertens interdum relinquit, ad inceptam vero redire solet. Quod ubi facit, ut consilium propositum clarius pateat, vocabulo quodam adhibito indicare non negligit, nunc rursus se audire vatem Apocalypseos loquentem. Quod idem observare licet paulo superius (p. 103 Lomm.), quum editis simul verbis οὗτος δὲ ὁ λόγος — καλεῖται — ad expositionem Apocalypseos revertatur. Quo certius constat, auctorem etiam illo loco, de quo agimus, lectorem monuisse, ut observet se iterum redire ad textum Apocalypseos. Et fecit haec fere locutus: Opus τοῦ λόγου hoc (scil. quod sequitur) esse dicitur (scil. apocalypsi): sicut iudicare iustissime ita etiam bella eum gerere iustissima etc. Deinde vero accidit, ut errore librariorum λέγεται mutaretur in λέγεσθαι, confusis et reliquis verbis enuntiati. Quo facto mutatae formae mutatio loci secuta est; primus novum peperit errorem. Nam quum luce clarius appareret, λέγεσθαι illic cum probo sensu non posse

coniungi, appositum est ad ἐκ τοῦ, id quod grammatica quidem patitur, rhetorica autem et sensus vetant fieri. Et ne mireris, quod ex vocabulo transposito et longo intervallo separato causam corrigendi textus repetiverimus, iam ad alium locum vitiosum procedamus, quem eadem ratione restituendum esse nemo opinor dubitabit.

VII.

§ 5. Lomm. p. 105. Οὐ γυμνὸς δὲ τῷ Ἰωάννῃ ὁρᾶται τῷ ἵππῳ ὀχούμενος ὁ τοῦ θεοῦ λόγος· περιβέβληται γὰρ ἱμάτιον ἐρραμμένον αἵματι, ἐπείπερ ἴχνη περίκειται ὁ γενόμενος λόγος σάρξ, καὶ διὰ τὸ γεγονέναι σάρξ ἀποθανών, ὡς προχυθῆναι αὐτοῦ καὶ αἷμα ἐπὶ τὴν γῆν, νύξαντος τοῦ στρατιώτου τὴν πλευρὰν αὐτοῦ. Ἐκείνου τοῦ πάθους, τάχα γὰρ κἂν ὁπωσποτέ ἐν τῇ τοῦ λόγου ὑψηλοτάτῃ καὶ ἀνωτάτῃ θεωρίᾳ γενώμεθα, καὶ τῆς ἀληθείας οὐ πάντῃ ἐπιλησόμεθα, τῆς ἐν σώματι ἡμῶν γενομένης δι' αὐτοῦ εἰσαγωγῆς.

Haec verba accuratius inspicienti non tantam admirationem movent, quod librariorum manibus valde corrupta sint, quantam quod docti viri, fere nihil vitiorum animadvertentes, sibi satisfecerint mendosum ex mendoso textu sensum extorquendo. Quamquam enim eos non fugit, ἱμάτιον ἐρραμμένον αἵματι sano sensu prorsus carere; (nam quidnam hoc loco valet vestimentum consutum, et quid absurdius dici potest quam vestimentum sanguine consutum?) ideoque emendaverunt aut per ἐρραντισμένον, aut, textum Apocalypseos secuti per βεβαμμένον, tamen peiora universamque periodum orationis perturbantia non viderunt. Et primum quidem verba ἐπείπερ ἴχνη περίκειται variis modis vertebant, sed quamcunque viam ingressi a vero aberraverunt. Inter quos fuerunt, qui censerent idem esse quod „vestigiis ingredi coepit." Sed ne dicam, vocabulum περικεῖσθαι illum sensum non exprimere, nonne risum movent, qui Logon pedestrem faciunt, cuius Apocalypsis sublimem imaginem herois equo vecti depingit? Eisdem vero difficultatibus premuntur, qui verbis hunc sensum inferunt: „quandoquidem vestigia imprimuntur." Aliquanto propius Ferrarius et Huetius ad verum accesserunt, vertendo: „quum vestigiis et notis circumdatus sit." At, verbis textus servatis, ne haec quidem accuratum sensum quaerentibus satisfacere possunt. Quae enim sunt illae res, quarum vestigia ob oculos versantur, quarum nullam textus facit mentionem? Quas quum desiderarent illi ex suo quidem ingenio et nulla textus auctoritate adiuti addiderunt vocabulum „notis". Immo, si lectio textus certo stat, unam tantum licebit versionem facere, quae cum verbis ipsis magis convenit; est vero haec quidem: Logos qui caro factus est, pallio calces tangente amictus est. Qua in versione iure articulum τά desideraveris, qui facili emendatione supplendus est. Confirmatur haec vero versio eo, quod ab Origeniana interpretatione scripturae haud absonum videtur, si quis spiritalem significationem pallii cruentati posuerit in carne Christi. Sed quamvis verisimilis versio esse videatur, sustinenda tamen non est, quia imaginem a propheta propositam destruit. Qui cum Logon describat medio corpori inscriptam vocem ferentem: ὁ βασιλεὺς βασιλέων, fieri non potest, ut pallium ei tribuat ad calces defluens. Neque Origenes is est, qui sacri oraculi rationem modumque stulta levitate confundat. Confiteamur potius textum et scriptum et editum non esse integrum. Accedit quod vocabulum ἴχνη non ex Apocalypsi desumptum, sed ab Origene propositum est. Quo certius mihi constat, eundem idem vocabulum non sine additis iis rebus proposuisse, quibus satis accurate determinetur, deperditis vero incuria librariorum illis additamentis ad sensum recte intelligendum necessariis, textum

ad nos pervenisse mancum. Sed nunc quidem satis est ostendisse difficultatem, quae sit; animadvertamus igitur alteram verborum graecorum partem, qua in integrum restituta ad solvendam quaestionem revertemur.

Iam neminem puto dubitare, quin verba ἐκείνου τοῦ πάθους iis quae proximo loco antecedant nullo modo adiungi possint. Qua re omnes editores ad verba sequentia copulant. Attrahunt enim, id quod lege grammatica permittitur, ad verbum ἐπιλησόμεθα. Neque vero idem aut viderunt aut indicaverunt, novas difficultates easque molestissimas ex vocibus ita coniunctis exoriri. Primum enim quis sine taedio patiatur, duas res, ἐκείνου τοῦ πάθους et τῆς ἀληθείας, quae inter se et cum verbo ἐπιλησόμεθα vinculo grammatices arctissimo cohaereant, sine ulla causa disruptas et longe separatas esse? Addas praeterea, quod enuntiatio interposita a verbis τάχα γὰρ κἂν incipiat, quae ad orationem directo itinere procedentem potius apta sint, quam ad sententiam in medium sermonem subito irrumpentem. Deinde textus ab editoribus receptus coegit eos, ut verba ultima periodi τῆς ἐν σώματι ἡμῶν γενομένης δι' αὐτοῦ εἰςαγωγῆς seiungerent a praecedentibus, cum quibus vinculo ut ita dicam naturali cohaerent. Quo facto nihil aliud relinquitur, nisi ut in genitivi absoluti formam redigantur. Quae etsi regulam grammaticam non violat, a probabili sensu multum abest. Nam postquam dixit, nos ne in coelesti quidem beatitudine passionis Christi et veritatis oblituros esse, valde ieiunum est et inopinatum additamentum illud: post factam in corpore humano per eum introductionem. Simulque sententia verbis inesset praecedentibus enervis profecto et frigida. Nam quis dixerit nos in vita beata non omnino oblituros esse veritatis, qui crediderit, vitae coelestis beatitudinem contineri magnam partem perspecta divina veritate? Ab Origenis ingenio placitisque id mirum quantum abhorret. Neque idem tam crassi ingenii est, ut res inter se discrepantes, ἐκείνου τοῦ πάθους et τῆς ἀληθείας, in unum complectatur. Quae quum ita se habeant, satis apparet totius orationis ordo immutatus et confusus esse. Speramus tamen, eum nos restituturos esse in integrum. Quod ut fiat, primum postulamus, ut omnia interpuncta verborum tollantur, quibus editores orationis membra laceraverint, deinde ut verba ἐκείνου τοῦ πάθους praetereantur, quasi non sint. Quibus sublatis naturalis veluti nexus orationis redibit, sensusque et clarissimus et Origene dignissimus elucebit. Aptissima enim coniunctione et facillima τοῦ λόγου θεωρίᾳ καὶ τῆς ἀληθείας, deinde vero οὐ πάντη ἐπιλησόμεθα et τῆς εἰςαγωγῆς copulantur. Quorum argumentum patebit ex vera versione, quam loco suetae versionis quae potius perversio dici possit, apponere liceat. „Et fortasse, etiam si aliquando ad maxime elatam et sublimem Logi et veritatis mentalem contemplationem pervenerimus, non omnino obliviscemur, quod per eum, nostro corpore humano assumto, in eam introducti simus."

Postquam illius ordinem sermonis, eumque ut speramus verum, restituimus, iam redeamus ad verba antecedentia. Inter quae vox saepe laudata ἐκείνου τοῦ πάθους quasi excisum membrum remansit. Quae quum in ista serie verborum abundet, memineris vocem ἴχνη paulo superius scriptam, male intellectam esse, cuius notio mutila et indefinita esse videretur. Componas utrumque, legas ἴχνη ἐκείνου τοῦ πάθους, et totum quod inest vitium, tolletur de medio. Nescio quo errore seducti locum verborum librarii mutaverint. Fortasse a quodam omissa, deinde corrigente manu in margine posita, posteaque ad inferiorem lineam delata sunt. Sed quocunque modo res se habet, id satis constat, verba ita coniuncta eam, qua opus est, interpretationem afferre antecedentium verborum: περιβέβληται γὰρ ἱμάτιον ἐῤῥαντισμένον αἵματι. Pallium

enim Origenes methodo allegorica cum corpore, sanguinem ei aspersum cum sanguine comparat in cruce effuso. Dicit vero etiam, vestigia passionis tantum adesse, quum vates sanctus Logon non in terris degentem mortemque patientem, sed superata morte ad coelos exaltatum ob oculos ponat. Restat hoc unum ad probandas coniecturas nostras, ut totius periodi argumentum quid sit ostendamus et quantopere consentaneum sit sententiarum systemati Origenis. Idem quum Platonicos philosophos secutus veritatem rerum potissimum in ideis positam esse censeret, res mundanas hominumque praeclare gesta non nisi symbola idearum esse habuit. Quo motus etiam salutis nostrae summam eo attingere studuit, ut divinas ideas intueretur. Cuius operis christianum gnosticum initium facere putavit, perficere vero non posse in hoc terrestri corpore, mentis aciem tarditate sua impediente. Liberatum vero post mortem ex eius vinculis animum ad summam Dei divinarumque idearum contemplationem (θεωρίαν) efferendum esse. Itaque ne in iis quidem, quae Christus inter nos commoratus ad nos redimendos aut confecit aut perpessus est, tantum momentum ponit, quantum et maxima pars fidelium et ipsa scriptura sacra. Humilitatem enim Christi, pretiosissimum profecto divini donum amoris, quodammodo despiciens, ad cognoscendam universalis Logi magnitudinem et efficaciam animos hominum incitat. Quae studia quamquam plerumque persequitur, pius tamen amor Christi intimo in pectore viget, monetque interdum, ut ne passi quidem meritum Christi prorsus negligat. Et talem se Origenes praestitit iis de quibus agimus verbis. Nam quum ad considerandam Apocalypseos imaginem se convertisset, conspectis in Logo divino humanae naturae mortemque passae vestigiis, professus est, tantam vim eam in praeparanda salute nostra et habuisse et semper habituram esse, ut quamvis ad summum evecti fastigium beatae contemplationis Logi eiusque idearum tamen nunquam oblituri essemus, quantum ob hanc causam Christo deberemus.

VIII.

§ 6. Lomm. p. 110. — ὡς εὐσεβέστερον καὶ ἀληθὲς προσιέμεθα τὸ· πάντων διὰ τοῦ λόγου γενομένων, τὸ ἅγιον πνεῦμα πάντων εἶναι τιμιώτερον, καὶ τάξει πάντων τῶν ὑπὸ τοῦ Πατρὸς διὰ Χριστοῦ γεγενημένων.

Diffficultatem haec verba impedientem breviori negotio solvere licet. Quod suscepturus memineris velim, Origenem docere, Filium ex Patre, Spiritum sanctum ex Filio spiritali quadam processione eaque aeterna procedere, deinde reliquas naturas rationales. Obtinet igitur Spiritus sanctus inferiorem Logo locum, superiorem reliquis omnibus creaturis Logi opera factis. Quod quamquam illa verba satis evidenter monstrant, fugit tamen editores orationem claudicare, ubi τιμιώτερον καὶ τάξει πάντων arctissime coniungatur, id quod faciunt. Multo ea vero expeditior procedet, interposito πρὸ inter τάξει et πάντων. Quam emendationem tanto firmiori animo proposuimus, quum facillime fieri potuerit, ut breviato signo scriptum πρὸ sequenti pari littera opprimatur.

IX.

§ 6. Lomm. p. 111. καὶ μήποτε οὐ πάντως διὰ τὸ τιμιώτερον εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Χριστοῦ οὐ γίνεται ἄφεσις τῷ εἰς αὐτὸ ἡμαρτηκότι, ἀλλὰ διὰ τὸ Χριστοῦ μὲν πάντα μετέχειν τὰ λογικὰ, οἷς δίδοται συγγνώμη μεταβαλλομένοις ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων, τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος τοὺς καταξιωμένους μηδεμίας εὔλογον εἶναι συγγνώμης τυχεῖν μετὰ τηλικαύτης καὶ τοιαύτης

συμπνοίας τοῖς εἰς τὸ κακὸν ἔτι ἀποπίπτουσι καὶ ἐκτρεπομένοις τὰς τοῦ ἐνυπάρχοντος πνεύματος συμβουλίας.

His adiicio versionem Huetii eius partis verborum, quae difficultatibus aggravatur. Vertit vero idem hoc modo: — „non ignoscitur, quod — eos autem, qui sancto Spiritu digni iudicati sunt, non consentaneum sit veniam consequi, cum tanto et tali instinctu, et ut ita dicam, inspiratione in malum iterum relabentes, et consilia Spiritus sancti, qui in iis inest, respuentes."

Obtegit Huetius vitia grammatica quae textui verborum inserta sunt, male accurata versione. At quomodo accusativum vocis τοὺς κατηξιωμένους dativus appositus τοῖς ἀποπίπτουσι καὶ ἐκτρεπομένοις excipere possit, equidem ex regulis grammaticis me non posse illustrare confiteor. Vidit etiam Ruaeus disparia in his coniungi, coniecitque legendum esse τοὺς — ἀποπίπτοντας καὶ ἐκτρεπομένους. Respuit autem propositum illud Lommatzschius, quod sine iusta causa factum esse iudicavit. Quod a viro eruditissimo et grammatices peritissimo factum esse equidem valde miror. Nam quamvis improbet aliquis Ruaei emendationem, in textus forma certe acquiescendum nullo modo fuit. Nescio an forte quis putaverit, casus dativos cum voce συμπνοίας copulandos esse. At quicunque styli graeci mediocriter peritus ne tum quidem illam sententiam verbo apposito γενομένης carere posse negabit. Quin immo oratio, verbum etsi addideris, dura erit et impedita, propter verborum structuram sine causa mutatam. Confiteor autem Ruaei emendationem mihi ipsi non satisfacere, quum et articulus appositus et ordo verborum offendat. Periculum igitur faciam, probabiliore coniectura verum assequendi. Qua si forte nimis multa in contextu verborum immutare videor, animadvertas, quaeso, levissimas ubique mutationes suaderi. Iam igitur ut dicam quod sentiam, editores credo etiam nostrae periodi partes miscuisse. Neque enim satis observaverunt, enuntiatum τοῦ δὲ ἁγίου πνεύματος — τυχεῖν, quod proprium et separatum esse facile apparet, eadem structura grammatica nullo modo cum verbis consequentibus copulandum esse. Aliud potius enuntiatum, opinor, post vocem τυχεῖν instituendum est, et ita quidem, ut ab addita particula εἰ incipiat. Quae simili syllaba praecedente facile excidere potuit. Habes nunc vero etiam verbum proprium et finitum eiusdem particulae, ἀποπίπτουσι, quod omissa particula librarii participium dativo casu positum esse putaverunt. Et sicuti omisso εἰ ex errore in errores inducti sunt, ita vocabulo feliciter restituto, recta quasi et certa via inventa est quae ad veras lectiones reducit. Etenim quum ἀποπίπτουσι participium esse putaretur, articulus additus est. Deleas igitur τοῖς quod praecedit. Priori dativo deinde alterum adiiciendum esse putaverunt, ἐκτρεπομένοις; restituas casum rectum ἐκτρεπόμενοι. Tum asyndeta verba aegre ferentes coniunctionem καὶ interposuerunt; qua e medio sublata omnis orationis rectus et simplex ordo elucebit. Erit enim iste: εἰ μετὰ τηλικαύτης καὶ τοιαύτης συμπνοίας εἰς τὸ κακὸν ἔτι ἀποπίπτουσι, ἐκτρεπόμενοι τὰς τοῦ ἐνυπάρχοντος πνεύματος συμβουλίας. Quae quum satis firmiter stare videantur, ad reliqua progrediamur.

X.

§ 7. Lomm. p. 116. καθὸ γὰρ διάβολός ἐστι οὐκ ἐστι θεοῦ δημιούργημα, ᾧ δὲ συμβέβηκε διαβόλῳ εἶναι, γεννητός ὤν, οὐδενὸς κτιστοῦ ὄντος παρὲξ τοῦ κτιστοῦ ἡμῶν, θεοῦ ἐστι κτίσμα.

Origenes malum substantiam quandam habere docentes impugnat. Ad quos refellendos in naturis ratione praeditis discrimen dicit esse essentiae, quae a Deo sit et eorum, quae in illis ab ipsis facta sint. Diabolum igitur, quoad diabolus sit, non a

Deo creatum sed proprio facinore talem esse, qualis sit: quoad vero essentiae sit particeps, ut omnia, ita diabolum a Deo esse creatum. Unde in verbis graecis contraria opponuntur καθὸ διάβολός ἐστιν et ᾧ δὲ συμβέβηκε διαβόλῳ εἶναι. Quae rerum ratio falso exprimitur per ᾧ — εἶναι, nam esset eadem potius res quae iis ita positis repeteretur. Quod vitium logicum, addito articulo ad εἶναι facile corrigitur. Ceterum etiam διαβόλῳ articulum desiderat.

XI.

§ 8. Lomm. p. 118. οἷον δὲ καὶ τὸ τῆς γραφῆς· „χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν" — προστιθέντα αὐτόν ἄνευ παραμυθίας τῆς ἀπὸ τῆς γραφῆς τό· „τῶν — κτίσει" — μηδὲ μετὰ πιθανότητος ἀποφαίνεσθαι, πιστεύεσθαι ἀξιοῦντα κ. τ. λ.

In verbis propositis infinitivus ἀποφαίνεσθαι mutandus est in ἀποφαίνεται. Quod quum fugisset editores, recta simplicique structura periodi omissa, a re alienam ausi sunt facere. Scias vero, hoc loco de Heracleone gnostico agi, cuius perversam scripturae interpretandae rationem Origenes acriter vituperet. Ad huius igitur nomen editores grammatico nexu copulare student verbum ἀποφαίνεσθαι. Nam id satis ex versione apposita apparet, quae haecce est: „Quale est illud etiam, quod scriptura dicente: et sine — nihil, ipse addit: eorum — creatione, quod neque cum probabilitate pronuntiat, sed dignum se putat, cui credatur etc." Quae si comparaveris cum graeco, valde abhorrere non infitiaberis. Neque enim grammatica ratio admittit, ut aut οἷον — προστιθέντα — ἀποφαίνεσθαι in unius sententiae formam colligantur, aut τὸ τῆς γραφῆς genitivi absoluti loco habeatur, aut πιστεύεσθαι ἀξιούμενον interposita voce sed praecedentibus verbis opponatur. Ceterum istius verbi modus occasionem dedisse videtur mutandi ἀποφαίνεται in ἀποφαίνεσθαι. Itaque illud reducas, et tolletur moles tanta errorum. Tum quidem subiectum enuntiati non Heracleonem elucet esse, sed τὸ τῆς γραφῆς, et quae sequuntur; quibus verbum ἀποφαίνεται copulandum est; obiectum vero προστιθέντα. Qua re, si quid video, versio ita fere instituenda est: „Ut scripturae sacrae versus etc. ostendit eum (i. e. Heracleonem) ex suis sine persuasionis vi et sine fide addidisse etc., postulantem, ut sibi credatur etc."

XII.

Ibid. p. 118. Ἔτι δὲ ἰδίως καὶ τοῦ· „πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο," ἐξήκουσε, φάσκων· τὸν τὴν αἰτίαν παρασχόντα τῆς γενέσεως τοῦ κόσμου τῷ δημιουργῷ, τὸν λόγον ὄντα, εἶναι οὐ τὸν ἀφ' οὗ ἢ ὑφ' οὗ, ἀλλὰ τὸν δι' οὗ, περὶ τῶν ἐν τῇ συνηθείᾳ φράσιν ἐκδεχόμενος τὸ γεγραμμένον.

Sententia, quae verbis praescriptis inest, voce περὶ τῶν, quae codicibus fertur et ab editoribus probatur prorsus offuscatur et paene dixerim, in contrarium vertitur. Est enim idem Heracleon, cuius pravam Origenes opinionem praepositionis διὰ usu monstrato refellere studet. Haeretici enim gnostici inter quos Heracleon, summum quidem Deum esse docebant, mundum visibilem autem non ab eo, sed a multo inferiore Demiurgo formatum esse. Quod ut recto ordine faciat, a Logo inter Deum et Demiurgum posito divinae ideae consiliaque communicata esse. Hoc igitur est, quod Heracleon verbis superius datis exprimit τὸν τὴν αἰτίαν — τὸν λόγον ὄντα, putatque idem, actionem Logi evangelii vocabulis δι' οὗ signatam esse. E contra Origenes cum tota catholica ecclesia negat discrimen intercedere inter Deum et Demiurgum, quum idem ipse fabricator mundi sit qui et Deus, cuius veluti vicarium Logon in creando mundo esse credit. Qua re, quum pro consuetudine loquendi per διὰ causa instrumentalis

indicetur, et per ὑπὸ vel ἀπὸ causa efficiens, Heracleonem, causa efficiente in Logo posita, has leges violasse, eidem tribuentem vocabulum διά. Quae quum ita se habeant, nihil dubito, quin vera lectio sit παρὰ τὴν ἐν συνηθ. φρ. i. e. contra consuetum loquendi usum; editores autem persuasum mihi est, falsa tradidisse περὶ τῶν et falso vertisse: „exponens id, quod scriptum est, phrasin esse consuetam".

XIII.

§ 12. Lomm. p. 127. βασανιστέον, πότερον (scil. ὁ λόγος) αὐτῷ καὶ ἑτέροις ζωή ἐστιν, ἢ ἑτέροις, καὶ ἑτέροις, τίσι τούτοις.

Simplex et facilis obvia est inquisitio. Namque Origenes in rebus Logo attributis ea discernit, quae ad ipsum solum pertineant, alia vero, quibus ipsi conveniat cum aliis, deinde alia, quae non nisi in alios cadant, quum in eorum salutem Logon agentem significent. Iam verba graeca, quae huius sententiae partem aliquam exprimunt, rectius a Lommatzschio quam ab Huetio, Ruaeis, aliis intelliguntur, quum ille vir doctissimus τίσι potius particulam interrogativam quam indefinitam esse arbitretur. Sed nemo inter editores est, qui satis perpenderit, quam dura sit oratio, aptissimam vero fieri, uno addito εἰ ante ἑτέροις τίσι τούτοις. Is enim inde sensus proficiscitur: sin autem aliis, quinam sint illi?

XIV.

§ 15. Lomm. p. 130. — τὰ ὑπ' ἄλλου παρέντα εἰς μορφὴν καὶ εἰς φωτισμὸν καὶ παραγραφὴν ἰδίαν ἀγαγών.

Heracleonis sunt verba praescripta, qui de Logo agit, spiritus in mundum immissos formis ornante, vitae lumine illustrante, certosque naturarum fines constituente. In his quidem verbis παραγραφὴν mutandum est in περιγραφήν. Vult enim id indicare, quod nos nostris temporibus personam vocare solemus. Huius vero rei nomen apud veteres est περιγραφὴ ἰδία, sive ἰδία οὐσίας περιγραφή.

XV.

§ 17. Lomm. p. 133. — οἱ τοῦ θεοῦ ἄγγελοι παρὰ τὸ ἔργον τοῦτο χρηματίζουσι, καὶ οὐ παρὰ τὴν φ'σιν ἄνδρες κληθέντες.

Disputat Origenes in § 17 de nominibus angelus et homo sive vir, in scriptura sacra interdum eidem subiecto attributis. Quod quum exemplis quibusdam explanaverit, verbis superius propositis definit, cur nam altero alterove vocabulo scriptura utatur. In quibus id satis constat, praepositioni παρὰ bis positae utroque in loco eandem vim inesse. Priori vero enuntiati membro Origenes angelos Dei propter negotium a Deo iis impositum angelos appellari docet; unde efficitur, ut membro secundo eosdem propter naturam viros vocari dicat. Quae si vera sunt, quod non dubito, tollendum est negans vocabulum οὐ. Neque vero id mihi obiicias, fortasse Origenem de certi cuiusdam loci vocibus disputantem negare vel maxime loco eodem angelos viros appellatos esse, etiamsi fieri potuerit secundum eorum naturam. Nam generalis formae est sententia, et copulandum vocabulum οὐ non ad κληθέντες, sed ad παρὰ τὴν φύσιν, cui appositum est. Denique verisimile est, idem immixtum esse a librario quodam male intelligente verba sequentia: superiorum naturarum nomina οὐχὶ φύσεων ἀλλὰ τάξεων nomina esse.

XVI.

§ 19. Lomm. p. 135. — ἐὰν μὴ εὕρωμεν αἰτίαν, δι' ἣν οὐχὶ λόγος εἴρηται τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' ἡ γενομένη ἐν τῷ λόγῳ ζωή.

In his verbis vocabulo λόγος articulus praeponendus est. Et haec quidem quaestio facillime finietur. Nam subiectum grammaticum enuntiati est ὁ λόγος, de quo omnino hac paragrapho agitur, qui secundum Origenem est Αὐτόλογος et articulo addito insigniendus est.

XVII.

§ 23. Lomm. p. 141. Ἐὰν γάρ τις κατανοήσῃ τὸ πλῆθος τῶν περὶ θεοῦ θεωρημάτων καὶ γνώσεως, ἄληπτον τυγχάνον ἀνθρωπίνῃ φύσει, — εἴσεται πῶς περὶ τὸν θεὸν ἔστι σκότος, κατὰ τὸ ἀγνοεῖσθαι τὸν κατ' ἀξίαν περὶ αὐτοῦ πλούσιον λόγον, ἐν ᾧ σκότῳ ἔθετο αὐτοῦ τὴν ἀποκρυφὴν τῷ τὰ περὶ αὐτοῦ ἀγνοεῖσθαι, ἀχώρητα ὄντα τοῦτο πεποιηκώς.

Exscripsimus totum fere enuntiatum, ut ultima verba possint et intelligi et corrigi. Origenes igitur hac libri sui parte disputat, Deum, quamvis summum lumen spiritale sit, iure tamen scriptura sacra tenebris circumdatum esse dici. Quae vetus testamentum sublimi imagine naturalium rerum comparata depinxerat, ipse in allegoriam convertit, et ad divina mysteria omnem creaturarum intellectum superantia traxit. Haec est enim eius sententia: quum omnia, quae a nobis ignorantur, quasi in caligine nobis iacere videntur, tum maxime Deo tot et tantae insunt ideae, ut minima earum pars sive angelorum sive hominum mentibus percipiatur, qua re iure potest tenebris vocari circumdatus. Quas ipse sibi circumfudisse dicatur, „quum in tenebris posuerit mysterium quod ipse sit, quoniam quis sit ignoretur.“ His additur ἀχώρητα ὄντα τοῦτο πεποιηκώς. Nemo non videt, istis verbis augeri vim argumenti, quo demonstretur, cur Deus ignoretur. Exprimit enim ἀχώρητα: quae in Deo sint, percipi non posse. At quid ad rem statuendam adiuvet vox τοῦτο πεποιηκώς, quis est qui dicat? Equidem censeo, prorsus abundare, vim orationis infringere, claritatem eius offuscare. Legas vero ἀχώρητα ταῦτα πεποιηκώς, et habebis ordinem orationis probum, sententiam absolutam, res omnes lucidas.

XVIII.

§ 27. Lomm. p. 147. — Οὐριὴλ — ἐπάλαιε πρός με λέγων· προτηρήσειν ἐπάνω τοῦ ὀνόματός μου τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοῦ πρὸ παντὸς ἀγγέλου.

Ista verba pars sunt libri Iudaeorum apocryphi, cui nomen fuit προσευχὴ Ἰωσήφ. Cuius libri quae Origenes tradit, non sine momento sunt in incrementis dogmatis Logi indagandis. Sed meum hoc tempore negotium non est, id accuratius perscribere; hoc potius moneo lectorem, ut animadvertat de angelis agi, ex iisque Urielem inferiorem quendam ambitione motum sese praeficere studere omnium summo, cuius Israel nomen sit. Quem alterum repulsurum verba iactare dicit superius data. Ex his vero τοῦ quod ad πρὸ παντὸς ἀγγέλου appositum est, eiiciendum esse mihi videtur. Nam is, sive id nomen, omnes angelos superans, nemo nisi Deus ipse esset. Nequaquam vero aut liber ille apocryphus aut Origenes disputans de eius argumento, indicant, Urielem ad tantum elationis fastigium ascendisse; sed de angelorum gradibus et excellentia omnino agitur. Qua re is sensus verbis exprimendus fuit: Urielem studuisse ut Israeli qui omnium angelorum primus fuerit se praeposuerit ideoque omnibus (aliis) angelis. Et hunc quidem sensum omisso vocabulo τοῦ habebis.

XIX.

§ 28. Lomm. p 153. — ἐπεὶ τετηρήκαμεν, ὅτι ὁ θεὸς μάρτυς εἶναι ὁμολογεῖ, καὶ περὶ τοῦ Χριστοῦ τὸ αὐτὸ ἀποφαίνεσθαι πάντας ἐπὶ τὸ μιμητὰς αὐτοὺς καὶ τοῦ Χριστοῦ γενέσθαι παρακαλῶν, κατὰ τὸ μαρτυρεῖν αὐτοῦ οἷς χρὴ μαρτυρεῖν. φησὶ γὰρ κ. τ. λ.

Duo continent verba graeca, de quibus disceptandum est: unum, de quo certi verique aliquid constitui potest, alterum quod in dubio remanebit. E quibus prius est verbum ἀποφαίνεσθαι. Quod quum in modo infinitivi positum editores receperint, neque hoc loco falsum verborum coniunctorum ordinem eligere caverunt. Nam illud vocabulum copulaverunt cum sequente πάντας, quo separato a reliquis, eum verbis sensum extorserunt in versione conspicuum: „obsecrans (παρακαλῶν) omnes, ut id ipsum de Christo etiam enuntient.“ Quae si recte dicta essent, duae res fieri iuberentur: altera, ut omnes profiterentur Christum testem sive martyrem esse. At nonne mirandum esset, quod talis res omnibus mandaretur? Neque id fuit, quod auctor praecedente disputationis parte, ad quam vocabulo τετηρήκαμεν lectorem reducit, disseruerat. Ubi quum de solis prophetis ageret, id negotii iis esse exposuit, quod Christi venturi testes et vates essent. Alterum autem quod Deus ut fiat illis verbis imperat, ad omnes christianos pertineret, si recepta genuina lectio esset. Contineret enim eum sensum: „eo consilio ut omnes etiam Christi imitatores fiant.“ Concedamus, hanc verbis vim inesse, quis non aegre ferat, istam sententiam finem esse, quo tendat ea quae antecedat? Nonne alienum a simplicitate, ne dicam absurdum, est, omnes eam ob causam iuberi enuntiare Christum testem sive martyrem esse, ut imitentur? Nodum expedies mutato ἀποφαίνεσθαι in ἀποφαίνεται. Quo facto alia verborum copulatio eaque prorsus idonea erit obvia. Verbum enim particulae ὅτι subiiciendum, πάντας autem ad sequentia trahendum est. Deinde is qui ostendit idem est qui ὁμολογεῖ, Deus. Sensus igitur prioris enunciati is est: Deus se ipsum (secundum oraculum veteris testamenti quoddam) testem profitetur, idemque de Christo manifestat. Vocabulum μάρτυς ad Christum adhibitum ancipiti significatione, et ampliori et strictiori, usurpatur. Et prior quidem usus cum ea, qua Deus testis appellatur, ratione convenit, christianorum vero exemplar Christus est uterque, et testis et martyr. Quare ea sententia nunc praecedenti aptissime adiungitur: ut Christi imitatores fiant.

Sed iisdem verbis ἐπὶ τὸ μιμητὰς αὐτοὺς καὶ τοῦ Χριστοῦ γενέσθαι illud accidit, quod supra posuimus, vitium fortasse inesse. Nam quamquam potest ferri sensus iste: ut etiam Christum imitentur ipsi, multo melior tamen sensus in lucem prodibit, mutata voce αὐτοὺς in αὐτοῦ, id quod ita opinor intelligendum esse: ut Dei et Christi imitatores fiant, testimonia ferentes sive verbo sive sanguine fuso. Etenim haec vis enunciati praestare priori videtur, quia verbis scripturae sacrae continuo adiectis et Deus et Christus nomine μάρτυς insigniuntur. Eandem emendationem editione operum a Mignio curata suasam esse video, et est ea quidem ex omnibus, quae supra dedimus una, qua idem editor a Ruaeorum vestigiis abscedere audet. Ceterum quod addit, post μαρτυρεῖν αὐτοῦ in αὐτοὺς mutandum esse, minus probabile est.